Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

dampnacione percuciuntur qui propria
non largiuntur. Nemo itaque securum
se estimet dicens
Ecce aliena non rapio, sed concessis
licenter rebus fruor. quia dives
iste non ideo punitus est quia
aliena abstulit, sed quia in acceptis
rebus semetipsum male dereliquit
Hoc quoque fuit quod hunc inferno
non tradidit. quia in sua felici-
tate timidus non fuit, quia per-
cepta dona ad usum arrogancie
inflexit, quia viscera pietatis
ignoravit, quia peccata sua re-
dimere eciam cum sibi habundaret
precium noluit. Et sunt nonnulli qui
cultum subtilium preciosarum vestium
non putant esse peccatum. Quod si
videlicet culpa non esset, nequaquam
sermo dei tam vigilanter exprimeret
quod dives qui torquetur apud in-
feros bysso et purpura indutus
fuisset. Nemo quippe vestimenta
precipua nisi ad inanem gloriam
querit videlicet ut honorabilior
ceteris esse videatur. Nam quia pro
sola inani gloria vestimentum precio-
sius queritur, res ipsa testatur
quod nemo vult preciosis vestibus
ibi indui ubi ab aliis non pos-
sit videri. Quam culpam pos-
sumus melius eciam ex diverso
colligere. quia si abieccio vilis in
dumenti virtus non esset, evan-
gelista vigilanter de Johanne
non diceret. Erat indutus pilis
camelorum. Sed notandum nobis
magnopere est in ore veritatis
de superbo divite et humili paupere
quibus sit ordo narracionis.

Ecce enim dicitur Homo quidam
erat dives. Et protinus subinfertur
Et erat quidam mendicus nomine
lasarus. Certe in populo plus so-
lent nomina divitum quam pauperum
sciri. Quid est ergo quod dominus de
paupere et divite verbum faciens,
nomen pauperis dicit, et nomen
divitis non dicit, nisi quod deus
humiles novit atque approbat et
superbos ignorat. Unde et quibus-
dam de miraculorum virtute super-
bientibus dicturus in fine est. Nes-
cio vos unde estis, discedite a
me omnes qui operamini iniquitatem
At contra moysi dicitur. Novi te
ex nomine. Ait ergo de divite homo
quidam erat et de paupere. Egenus
nomine lasarus. Ac si aperte di-
cat pauperem humilem scio, super-
bum divitem nescio. Illum cogni-
tum per approbacionem habeo, hunc
per iudicium reprobacionis ignoro.
Pensandum nobis est eciam condi-
tor noster omnia cum quanta composicione
conspiciat et dispensat. Una
etenim res non pro una re agitur
Nam ecce plenus ulceribus
mendicus lasarus ante ianuam
divitis iacet, quia de re una
dominus duo iudicia complevit.
Habuisset enim fortasse aliquam
excusacionem dives si lasarus
pauper et ulcerosus ante ianuam
divitis eius non iacuisset. Si
eius inopia non esset in suis
oculis in portu fuerat. Rursum si
longe esset dives ab oculis ulce-
rosi pauperis, minorem tollerasset
in animo temptacionem pauper. Sed
dum egenum et ulceratum ante ianuam